ZELOTYPIAM MUSARUM
IN NUPTIIS
VIRI
CLARISSIMI atq; DOCTISSIMI
DOMINI
SAMUELIS THEODORI SCHOENVALDII
Prof. Publ. Ord. Gymn. Thor.
Optime meriti
cum
VIRGINE
OMNI VIRTVTVM GENERE, MORUMQUE ELEGANTIA EXORNATISSIMA
ANNA CHRISTINA
NAT. **GMEINERIA**
VIRI NOBILISS. & AMPLISSIMI
DN. MICHAELIS SCHROEGERI
CONSULIS GRAVISSMI
dilectissima Privigna
Die XXV Aug. ANNO MDCCXXXIII.
Felici auspicio celebratis
tenui vena effingere
ac
erga utriusque
SPLENDIDISSIMAS DOMUS
demississimam animi sui observantiam
testari voluit & debuit
gratulabundus
IOANNES DANIEL HOFFMANNUS
Thor. G. C.

THORVNII.
Impressit Ioh. Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMN. Typographus.

Viderat oblatos Musarum coetus honores,
Fortunamque novo cum fœdere Conjugis auctam;
Viderat, URANIE quantum cujusque favorem
Conciliat DOCTO CULTORI, qvanta MATHESIS
Utilitate sua fert ornamenta laborum.
His super indoluit, qvem qvævis presserat alta
Mente diu, prodit livorem, corde volutans,
Opprobrium spretæ formæ faciemque SORORIS
Altius elatam, quam tanquam Numen adorat,
Extollitque nimis jam crescens turba procorum:
Qvas eadem fecit studiorum grata voluptas
Aeqvales, fastu jam turgida despicit omnes.
Si qvid inest pulcri, nostri sunt signa decoris:
Svave os, voxque suis ornata coloribus apte;
Hæc nisi nostra SOROR nec non Tritonia PALLAS
Arte Palæmonia veluti cum lacte propinent,
Persimilis statuæ variis distincta figuris
Esset, qvas solitæ fœcundæ fingere mentes.
Nec propriis inventa prius nunc addere posset,
Conservata diu nisi CLIO suggerat illi.
Mox (ut zelotypis fere singula carpere mos est)
Observant gressum, majestatemque staturæ,
Et caput erectum, quasi pollice sidera jungat,
Et campos Nili pedibus metetur apertos
Aut Babylonis humum longe lateque patentem.
Mox ditem fingunt, ut sit, qvod rodere possit
Livor edax; numeros quod nectit fine carentes,
Punctaque diducit flavos simulantia nummos,
Quæ sacrata sibi Pascalis cista recondit,
Leibniciique manu quæ condita scrinia servant.
Hinc animo subiit regali splendida luxu
Cenchræis innixa domus Phrygiisque columnis:
Tectaque, quæ struxit Pario de marmore Libon
Et plures alii, studiis exculta Sileni
Archytæ, Pythii, vel qvos hæc protulit ætas.
Illinc arte nova valli surgentis in altum
Moles, Enceladi scopolis horrendior altis,
Pondera, qvanta vomunt rostris vastissima saxa,
Testudo, Crates, & quæ non machina belli,
Qvêis nos ac ipsum videatur vincere Pindum.
His magis illa ferox, quo plus hæc turba procorum
Nititur augendis his artibus addere curæ,
Qvas Diades olim magnis inceperat ausis,
Ac Triphon, Polypus, Philon, miroque potentes
Ingenio magis atque magis coluere seqvaces.
His qvidni tumeat? cum, si vel linea quædam
Est inventa cui, fert illi nobile sacrum
Pythagoræ, centum tauros; Numenque putarent
Omnes, cum foribus nostris Speusippus abegit,
Qui non illius sacro de fonte biberunt,

Nunc

Nunc ubi noſter honor, cum ſic contemnimur omnes?
Hæc animo verſat quævis, & bile tumeſcit:
Menti nulla qvies: omnes de ſede moventur:
Sollicitant alias, quas jungunt Palladis artes.
Hic querulæ voces; illinc concurſus ad alta
Culmina Parnaſſi montis, qvem ſervat Apollo.
Hic reſtant omnes, nec deffuit ipſa MATHESIS
Qva viſa, zelus ferveſcens verba miniſtrat:
O Pater Aonidum, LOGICA infit, redde priorem
Splendorem Muſis, ferme vileſcimus omnes:
Hûic ſe, qvod callent homines, debere fatentur:
Hanc laudant: ornant: illi placuiſſe ſtudentes
Grati ſunt cunctis & maxima præmia captant;
Nos contra flocci pendunt. Me maximus angit
Corde dolor: jam non veri falſique propino
Fontes, qvos ex me Muſarum turba petebat.
Arrogat hæcce ſibi MATHESIS: quin regula ſola
Eſſe cupit, quicquid veri docuere Sorores.
Quæ ſapiunt eius methodum ſat certa videntur:
Algebram libans verum tenuiſſe putatur,
Haud alibi reperit, quod non exegit ad ejus
Normam. Magna crepat, nec fructus provenit ingens.
Saltator quamvis agiles ſuper æthera ſaltus
Tollit, non video, melius veſtigia ferre
Poſſe pedum. Non unquam demonſtrare valebit,
Si modo ſola ſapit, comedendo virus ineſſe
Pani, nec quæ ſit ducenda, bonamve malamve,
Scire poteſt certo, ſociam fore, morte peribit
Hic prius, aut nunquam ducet. Sic imperat audax!
Non tamen invideo, quod ad ejus pertinet artem,
Quæ mea ſunt, rogito prudens, intacta relinqvat,
Ac hæc non adeo proprio ſub nomine jactet.
Hoc age, Muſarum Præſes, adferque medelam.
Hæc effata: moræ impatiens ſermone POESIS
Interpellat eam medio, profertque qverendo:
Qvod qvoque non dubitet nunc ipſi ponere leges,
Neſcit qvas, ni forte volet, ne carmina currant
Diſparibus numeris, arcto concludere circlo.
Fingere multa licet, quæ non exacta ad amuſſim.
Poſthæc ſummatim memorare POLITICA cœpit,
Cui pergrata fuit ſemper, qvibus impetat auſis
Ipſam, ſe jam non Dominam Sociamque fatetur,
Sed ſervam potius; Nec tanto nomine dignam
Eſſe putet, ſi non eius guſtaverit undas.
Tum quæ fata ſubit jam tempore PHYSICA longo
Exponit, nec ſe credit graviora tuliſſe,
Quæ LOGICA impoſuit pridem, iuga, quam ſit ab iſta
Paſſa; ſecat, reſecat partes exactius æqvo
Omnes naturæ, & non intus perſpicit illas.
Digna Baconis erit cenſura, qui locat illam

Poſt

Post omnes Musas fere posteriore sedili.
Dictis acclamant omnes, dum mœsta gemiscit
Inter eas ETHICA & variis iactata periclis
Sqvallida, deformis, tantum non horrida visu,
Qvam deturpavit misere Spinoza malignus
Culpa eius, leges illi cum ferre conatus
Esset: multa loqui vetuit dolor, ipse dolendus
Aspectus fuerat rhetor, qui corda movebat.
Nec deerant aliæ multo graviora loquentes,
Quæ sunt perpessæ, cunctis dominante MATHESI.
Hæc ubi cognorat gravis, arbiter æqvus, APOLLO,
Quid tantas dederit turbas, quæ causa querendi?
Mitigat & lenit Musas, ac tale profatur
Oraclum: *Mathesis plane sibi ne arroget illud*
„Quidquid alius sit, gratamque rependito mentem:
„Pierides illam reverentor more sororum
„Ob merita & fructum, quem tot mortalibus adfert:
„Præmia doctrinæ laudesque manento laborum,
„Quos omnis cultor fert: invidiamque protervam
„Eiiciunto: novoque liganto fœdere dextras.
Hoc dicto, stimulat quamvis, mandatque trahitque,
Pulcrum lætandi svadet nunc tempus adesse,
Quo iamiam incensum testari possit amorem.
En! (monstrat digitis,) iam sacra iugalia CULTOR
ILLE parat, cœtus præsentis gloria præstans.
Commemorat laudes ejus, quod dignus honore,
Qui reliquis Musis scit non minus atque Mathesi
Reddere commeritum cultum: Tum NOMINA mactat
Utriusque Domus præclaræ laude perenni,
Delicium quibus est Mathesis, propriumque tueri
Musas. Hoc dicto, mox tota caterva stupescit,
Miraturque VIRUM; tum lætos sumere vultus
Incipit atque suo dextris de more ligatis
Exultat, magnoque capit nova gaudia plausu,
Acclamans: Io! læta dies, quæ pectora iungis
Digna pari nodo: non extinguantur amoris
Ignes quos castis vis subdidit alta Tonantis
Cordibus, & flagret flammis socialibus ævi
Annoso spatio; vultu fortuna sereno
Rideat & faustis redeat successibus usque:
Prodeat & proles, verissima imago Parentum,
Artibus egregiis collustratura Camœnas.